



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. An electio procedens ex intertione efficaci, quæ obligat pro tempore
diui sibili, facta ante vltimum instans in quo vrget executio finis,
libertatem retineat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

concedo, verum tamen differentia, quam ipse admittit, plurimum ad rem conducit, quia id, quod est futurum, & non dum est, adhuc est in potestate voluntatis, & antecederet possibilis est futurum, & negatio futuritatis; id autem, quod est praeiteritum, non est in potestate voluntatis, nec adhuc antecederet possibilis est negatio praeiterationis.

7 Differentiam aliam suppositionum Ruizio assignabo. Procedit difficultas de tempore, intra quod actus necessarius est exercendus, & fieri potest, quia si actus esset praefinitus intra spatium vnius horae, & in dimidia ultima non posset exerceri, idem esset, ac si praefinitus tantum esset intra spatium horae dimidia, in cuius fine necessarius esset actus eligendus. Idem dico de electione finis, cuius executio intenta est exercenda intra horam, quia si intellectus noscat, non posse talem finem exerceri in dimidia ultima, perinde esset ac si illa executio ex vi intentionis futura esset in prima dimidia parte, in cuius ultimo instanti urgebat executio finis, & electionis. Pono, electionem posse fieri in quolibet spatio horae, ad hoc ut videatur, non futura in posterioribus instantibus, necesse est supponi existentem in prioribus, ideo enim non est in instanti D, neque in sequentibus, quia fuit in instanti C, quod fin instanti C, neque in anterioribus fuisset, absque dubio esset in posterioribus. Unde suppositio non futuritatis in instanti D, neque in posterioribus concluditur, vel supponit existentiam eiusdem electionis in instanti aliquo precedenti instanti D: ex quo inferitur, necessitatem existentiae electionis in instanti praecedenti instanti D, ex suppositione negationis illius in instanti D, & in sequentibus, oriri ex ipsa existentia electionis ac proinde esse necessitatem omnino consequentem ortam ex suppositione eiusdem electionis, quae dicitur necessaria, necessitas autem existentiae quae oritur ex ipsa existentia, & necessitas illa quae omne quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse, optimè compossibilis cum libertate. Necessitas vero electionis in ultimo instanti, ex suppositione, quod non fuerit in prioribus, non oritur ex ipsa existentia electionis, neque ad hoc ut electio non sit in primo instanti supponitur futura in sequentibus; prius enim est, non esse in hoc instanti, quam esse futuram in posterioribus, ideo enim est in ultimo instanti quia non fuit in prioribus, non tamen ideo non est in prioribus quia est futura in ultimo. Unde haec consequentia: *electio non est futura in instantibus sequentibus primum instanti, ergo est in primo, est consequentia à posteriori, huc autem: non est in primo, ergo est in sequentibus*, est quasi à priori.

8 Arguit insuper Ruizius: Posita collectione hominum in mundo existentium, qui omnes aequè liberi sunt ad futurum, certum, & infallibile est, moraliter aliquos illorum futurum commissuros: reuelet Deus, homines illos, qui furaturi non sunt optimè, & infallibiliter consequentia inferitur: ergo reliqui furabuntur; & tamen liberè furabuntur, ergo infallibilitas vaga, orta respectu huius singularis ex reliquorum exclusionem rectè cum libertate componitur. Resp. infallibilitatem vagam posse esse antecedentem, & consequentem, & hanc nunquam tollere libertatem, & huiusmodi esse infallibilitatem, qua inferitur, illos homines futurum commissuros, quia illa infallibilitas est moralis, quae non oritur ex aliquo antecedenti actus ipsos, qui moraliter dicuntur infallibiles, sed ex ipsis, qui moraliter dicuntur infallibiles; quia ex tot furtis, ad quae est libertas respectu tot hominum adeo diuersae indolis, inter quos plures sunt actibus furandi valde dediti, & afflicti, penès miraculum esset, aliud quod non contingere. Adde, hanc infallibilitatem moralem, adhuc respectu vnius individui, vniúsque actus determinati, cum libertate non opponi. Moraliter enim infallibile est, hominem avarum, & in extrema pecuniarum necessitate constitutum accepturum pecunias, quas ego illi gratis offeram, & nihilominus postquam illas obtulero, ille pecunias liberè acceptabit.

PUNCTUM V.

An electio procedens ex intentione efficaci, qua obligat pro tempore diuisibili, facta ante ultimum instanti, in quo urgeat executio finis, libertatem retineat.

1 DIXI, electionem necessariam ad finem obtinendum necessariò procedere ab intentione finis, illam verò Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1.1.

quae necessaria non est, ut finis executioni mandetur, liberam permanere; ex hoc principio inferebam puncto praecedenti, posita electione materiali medijs, concomitantè ad intentionem, electionem formalem liberam esse, quia illa posita, necessaria non est hæc formalis electio, quia ex vi electionis materialis medium erit, & hoc posito, ex quacumque electione ponatur, aequè bene finis obtinebitur, posset tamen quis contendere, tunc electionem formalem possibilem non esse, quia si iam supponitur medium ex vi electionis materialis, formalis electio nullam poterit habere efficaciam circa illud. Resp. tamen effectum posse dependere à duplici actu aequato voluntatis, ac proinde effectum aequatè dependentem, ab electione materiali, posse simul dependere à formali electione, etiam si non indigeat dependere ab illa.

2 Secundò potest obijci: tunc electionem non esse simpliciter liberam, quia ex vi intentionis tenetur voluntas, electionem materiale, vel formalem elicere, & non potest ab utraque cessare. Respondeo utramque electionem esse formaliter liberam & voluntatem non teneri vnam, vel alteram electionem efficere, quia etiam si ablata electione materiali, voluntas teneretur ad electionem formalem, formali ablata, nunquam ad materiale teneretur, quia intentio influere non potest in electionem materiale, ut probabam loco citato, ac proinde etiam si vilis sit ad executionem medijs, non teneretur ad illam voluntas ex vi intentionis, quia ex vi huius non teneretur voluntas ad praestanda omnia, quae sunt utilia, & necessaria, & ab illa intentione procedere possunt. Ex hoc inferes: electionem materiale simpliciter esse liberam, & hac supposita liberam similiter esse simpliciter formalem electionem, quia supposita electione materiali formalis electio necessaria non est ad finem obtinendum, ac proinde ad illam non tenetur voluntas. Quod autem ablata electione materiali necessaria esset formalis electio, & ad illam teneretur voluntas, probat hanc electionem formalem non esse liberè elicendam, non verò de facto nunc liberam non esse, quia deficiente electione materiali, cognosceretur medium necessarium, & ex nulla causa exiturum independentè à formali electione, ac proinde ad hanc teneretur voluntas & ex vi huius cognitionis, & praedictae intentionis: existente verò electione materiali, etiam si medium cognosceretur necessarium cognosceretur exiturum ex vi electionis materialis, ac proinde si teneretur voluntas ad electionem formalem, sicut non teneretur, adhuc supposita intentione ad amandum medium, quod independentè ab illius amore, iam existens, supponitur.

3 Grauior in hac re alia suboritur difficultas, an posita intentione efficaci finis, & cognitione necessitatis medijs nondum producti ad illum obtinendum, si ex illa intentione oriatur electio prius tempore, quam urgeat executio medijs, an illa electio simpliciter absolute esset libera, etsi in ultimo instanti, in quo urgeat finis executio, & electionis positio, ipsa exercetur, eodem modo philosophandum sit. Dicam modò de electione exhibitā ante instanti, in quo urgeat finis executio, & postea de electione elicita in ultimo instanti in quo ex vi intentionis finis urgebat executio. Pro utraque parte non levis occurrat dubitandi ratio, utramque expendam dum meam explicabo sententiam, & argumentis in contrarium satisficiam. Affirmo cum Patre Salas supra num. 40. & clariùs num. 46. pro eadem sententia possem referre Hurtadum Complutensem tomo de Incarnatione, disputat. 14. difficult. 3. numer. 16. & Patrem Didacum Ruiz. tom. de Providentia, tractat. 2. disputat. 9. sectione 12. numer. 16. ubi affirmant, opus præceptum Christo à Deo, quod Christus omittere nequit, liberè fieri ab illo, ex eo præcisè, quod liberum fuerit Christo, hoc vel illo tempore opus præceptum efficere, & non teneretur in hoc determinato tempore illud exhibere. Praedictam conclusionem sic probò: Intentio per se, neque cognitio necessitatis medijs, non inducit electionem necessariam, quousque adueniat cognitio, qua cognoscam iam existere tempus, in quo secundum decretum intentionis urgeat executio finis: ergo si antequam adueniat hæc cognitio, qua cognoscam expletum esse tempus, in quo urgeat executio finis, electionem eliciam, illam exhibeo independentè ab illa cognitione, quae simul cum intentione necessitatem illius potest inferre voluntati: ergo omnino liberè. Probo consequentiam: tunc actus voluntatis est liber, quando procedit à principiis, quae componi

componi possunt cum actu, & cum negatione illius: sed totum id, quod precedit ad electionem factam, antequam vrgeat exequutio finis, componi potest cum electione, & negatione illius: ergo electio liberè procedit à voluntate Maiorem nullus negat, neque consequentia fugi potest. Minorem probo: ad electionem factam antequam vrgeat exequutio finis, tantum supponitur intentio, & cognitio necessitatis medij, non verò cognitio, qua iudicetur hic, & nunc de facto iam vrgeri exequutionem finis, & adesse tempus adimpletionis illius secundum decretum intentionis: sed intentio finis, & cognitio necessitatis medij sine hac vltima cognitione, qua iudicetur, vrgeri exequutionem finis, componi possunt cum negatione electionis, & de facto componuntur, quovisque hæc vltima cognitio adueniat: ergo electio, ad quam non supponitur hæc vltima cognitio, sed tantum intentio finis, & cognitio utilitatis, & necessitatis medij provenit à principiis, quæ componi possunt cum negatione illius, & consequenter liberè procedit ab illis.

4 Obiicies supposita intentione efficaci finis, & cognitione necessitatis medij medium necessarium est eligendum, & non potest non eligi: ergo non potest liberè eligi. Resp. distinguendo antecedens: medium non potest non eligi, in illo instanti, in quo eligitur, si sit antequam vrgeat exequutio medij nego: non potest non eligi in illo instanti, vel in alio sequenti, subdistinguo: non potest non eligi, ex vi illius, quod est ante instans, in quo vrget exequutio, nego: non poterit non eligi ex vi illius, quod erit in instanti, in quo vrgeat exequutio, concedo: ergo non est libera electio talis medij, distinguo consequens si eliciatur in instanti, in quo vrget exequutio medij, in quo existit totum illud ex vi cuius non potest non esse electio, concedo: si eliciatur ante instans, in quo vrget exequutio medij, in quo non est totum illud, ex vi cuius electio non potest esse, nego. Ratio præsto est, quia actus non est necessarius quovisque sit totum illud, quod componi non potest cum negatione illius, cum verò totum illud quod est ante instans, in quo vrget electio, componi possit cum substantia negationis actus, si præcisè, & secundum se sumatur, non tollit illius libertatem, & indifferentiam.

5 Obiicies. Ex intentione efficaci, & cognitione necessitatis medij sequitur necessarium vltima illa cognitio, cum qua non potest componi negatio electionis: ergo inferitur necessarium electio: distinguo antecedens, ex intentione, & cognitione utilitatis medij sequitur vltima cognitio, quæ componi non potest cum negatione electionis, in instanti, in quo vrget exequutio finis, concedo antecedens: sequitur in tempore præcedenti instans, in quo vrget exequutio finis, nego: ergo tollit libertatem, distinguo consequens: tollit libertatem in instanti, in quo vrget exequutio finis, si in illo sit necessaria electio transeat in instantibus præcedentibus, nego.

6 Obiicies. Totum illud, quod tollit libertatem (sumo mihi illam tollere in illo instanti, quod dictum fuit Puncto præcedenti) in instanti, in quo vrget exequutio finis, est in instantibus præcedentibus: ergo electio in omnibus est necessaria. Antecedens probatur: Cognitio illa, qua cognoscitur in instanti, in quo vrget exequutio medij hic & nunc tempus adesse, in quo finis est exequendus simul cum intentione, & cognitione necessitatis medij, præcessit in instantibus præcedentibus illud, in quo vrgebat exequutio medij: ergo præcessit totum illud, quod libertatem adimit electionis in instanti, in quo vrget medium, quia intentionem, & cognitionem necessitatis medij certum est præcessisse. Antecedens probatur eadem cognitio, qua modo ego existens in instanti A, cognosco fore, ut vrgeat exequutio medij in instanti D, durans instanti D, dicit hic, & nunc in hoc instanti D, vrget exequutio finis, quia eadem cognitio, qua ego hodie cognosco obiectum futurum crastina die, cognosco crastina die illud actu existens: ergo cognitio, quæ crastina die vrgebit ad exequutionem finis representans existens tempus, quo finis est exequendus, est hodie representans futurum tempus, in quo vrgeat exequutio finis: ergo totum id, quod crastina die determinabit ad electionem existit modo: ergo modo determinabit eodem modo.

7 Difficultatem obiectionis agnosco, sed omnes illam dissolvere tenentur, siue dicant electionem factam antequam vrgeat exequutio finis esse liberam, quoad substantiam, siue non, quia negare nequeunt, electionem factam antequam

vrgeat exequutio finis, esse liberam saltem quoad circumstantiam durationis, & electionem factam in instanti, in quo vrget exequutio finis, adhuc, quoad circumstantiam durationis, esse necessariam: ex quo inferitur, diversio modo necessitari voluntatem per eandem cognitionem tempore, quo vrget exequutio finis, quam tempore præcedenti. Responderet aliquis, non esse eandem cognitionem, quæ cognoscitur obiectum crastina die futurum, cum cognitione, qua crastina die cognoscam illud iam existens: sed hæc solutio etiam si difficultatem fugere vi deatur, in potest. In primis enim respectu cognitionis diuine, quæ me cognoscit modo existentem, quam nullus probatur Theologus distinguere, adhuc formaliter à cognitione, qua ab æterno me cognovit futurum in ordine ad durationem, quam nunc habeo, neque à cognitione, qua me cognoscet iam præteritum in posterum: talis in Deo cognitio, qua me modo præsentem agnoscit, in tempore incipit, & non in æternum duraret, nullus autem potest ponere in Deo cognitionem, quæ non sit ab æterno, & in æternum duratura. Secundo idem contingere in omni cognitione creata facile probatur, quia sicut me hodie actu existens, & fieri exiturum hodierna die, & crastina die existisse hodie non distinguuntur, ita neque distinguitur cognitio, qua cognosco existens in hoc die, actu respectu eiusdem diei, & exiturus etiam in eodem die respectu diei huius, & etiam existisse in eodem respectu crastina.

Melius responderi posse existimo: illam cognitionem, qua necessatur ad electionem necessariam ille, qui finem efficaciter intendit in instanti, in quo vrget exequutio illius, potuisse existere, & sæpe existisse in instantibus præcedentibus illud, in quo vrget exequutio finis, in quibus non necessitatem intulit electionis, quia non erat cum omnibus requisitis, ut talem necessitatem induceret, videlicet, quia non erat cum duratione correspondenti instanti temporis in quo vrget finis exequutio, sine qua illa cogitatio adhuc cum intentione efficaci necessitatem electionis non inducebat, neque voluntatem determinabat ad illam eliciendam. Exemplum aptum accipe in actu efficaci Dei quo ab æterno decrevit mundum in tali duratione producere: idem actus fuit ab æterno, & quovisque adimpletum est tempus illud, quod respiciebat tanquam obiectum, & tanquam mensuram respondentem creationi mundi secundum decretum diuinum, omnipotentiam non determinavit, ut de facto mundum produceret, & idem existens ab æterno, in instanti, in quo mundi creatione decreverat Deus omnipotentia illius creatione efficaciter imperavit, quam per totam æternitatem non efficaciter imperauerat. Dico imperasse creatione efficaciter usque ad illud instans, quia etiam si imperium fuerit ab æterno, usque ad illud instans, efficaciam non habuerat: quod eodem modo significabitur, si dicamus illud decretum ab æterno imperasse creationem omnipotentia, faciendam tamen tali tempore, quo non impleto ex vi talis decreti, omnipotentia non tenebatur mundum producere, neque ad illius productionem in actu secundo determinabatur, quod eodem modo dici poterit in nostro casu, si dicamus cognitionem illam temporis, in quo vrget exequutio finis efficaciter intenti vrgeri ad electionem necessariam, pro illo tempore, in quo vrget talis exequutio, si in illo sit necessaria electio, ante quod voluntas absolute non tenetur ad substantiam electionis, quia deficit circumstantia quædam, videlicet adimpletio temporis, sub quo tantum voluntas tenetur ad electionem, si illo tempore fuerit necessaria.

Obiic. Posito decreto Dei de Verbo incarnato abstrahente à tempore, ex vi cuius Deus non tenetur producere Christum in hoc tempore, sed illi liberum est in hoc vel in illo Christum producere, non manet Deus liber ad substantiam Christi producendam, etiam si maneat liber ad producendum Christum in tempore, in quo posset illum non producere: similiter Beatissima virgo, & sancti Patres, qui meruerunt accelerationem Incarnationis, iuxta plurimum Theologorum sententiam non poterunt mereri illius substantiam, quia illorum merita supponebant decretum illud de Verbo incarnato: ergo etiam si electio producatur tempore, quo illam poterat voluntas non producere, libera non erat supposita intentione, ex vi cuius voluntas tenebatur hoc, vel illo tempore illam elicere. Respond. disparere esse rationem quia ex illo decreto de Verbo incarnato, quocumque alio seculo, tenebatur Deus absolute

Christum

Christum producere, ex vi tamen intentionis, & cuiuscumque cognitionis, dum non respicit tempus iam praesens, & illi coexistens, in quo virget exequutio finis, ad nihil teneatur voluntas, quia intentio per se non obligat ad electionem, sicut decretum Dei obligat Deum ad illius obiectum adimplendum, sed tantum est quid inadaequatum, quod simul cum aliis circumstantiis, inter quas una est adimpletio temporis, in quo virget exequutio finis iuxta decretum intentionis, determinabit ad electionem.

PUNCTUM VI.

An voluntas ex duobus mediis positis possit eligere minus bonum.

I Dxi, voluntatem suppositam intentione finis, ad quem plura media occurrunt, pro sua libertate posse eligere vnum, vel aliud; specialius inquirendum est An possit eligere minus bonum, vel aequale bonum. An vero ex suppositione, quod vnum eligat teneatur magis bonum eligere? Dupliciter potest aliquid apparere magis bonum; ex parte obiecti, vel ex parte modi; ex parte obiecti, quando maior bonitas apparet in hoc medio, quam in illo; ex parte modi, quia etiam si non appareat maior bonitas in hoc medio, quam in illo, sed aequalis, aut minor, viuacius tamen, & efficacius proponitur voluntati minor illa bonitas, quam alia maior, ita ut ex modo cognoscendi magis alliciat voluntatem obiectum cognitum cum minori bonitate, quam aliud cum maiore bonitate frigide, & inefficaciter voluntati propositum, quod non est apparere ut maius bonum, sed magis bene, hoc est, efficacius atque viuacius proponi. Hae difficultas aliquid habet commune in mediis electis, & in finibus intentis, & aliquid singulare in mediis conducentibus ad eundem finem. Communis est difficultas respectu electionis mediorum, & intentionum diuersorum finium. An voluntas semper feratur in obiectum, quod in illo instanti, in quo operatur efficacius proponitur de qua disputant Theologi, & quapropter hic non disputabo, an voluntas semper feratur in medium, quod in illo instanti efficacius proponitur, sed an semper eligat medium, quod ex parte obiecti melius, & vtilius apparet ad finem consequendum; quae difficultas est propria electionis mediorum, & non communis intentioni finis.

2 Dupliciter potest medium esse melius; vel formaliter ut medium, quia per illud certius, & infallibiliter, perfectius & facilius finis obtrinebitur, quam per aliud, vel quia etiam si aequale sit, infallibiliter, perfectius, & facilius medium per illud obtrinebitur, hoc tamen alias rationes bonitatis in se habet, vel propter se amabilem, vel propter alium finem, ad quem possunt conducere. Doctores, qui affirmant ex duobus mediis voluntatem eligere semper illud, quod perfectius iudicatur, existimo loqui de medio perfectiori formaliter in ratione medij, hoc est, de viliori ad finem obtrinuendum.

3 Audiui virum doctum defendisse, non esse vnum medium formaliter vtilius alio in ordine ad eundem finem, cuius fundamentum hoc erat: medium, quo citius finis obtrinetur non est vtilius ad obtrinuendum finem alio, quo non ita cito finis obtrineretur, quia finis cito, vel sero obtrinitus idem est quoad substantiam, ex quo fit respectu intentionis respicientis substantiam finis abstrahentis a tempore aequale vtile esse medium, quo in hoc tempore, vel in illo finis obtrinetur, quia aequale completur intentio per finem hoc, vel illo tempore obtrinitum, illud tamen habebit speciale tale medium, quod non solum erit vtile ad finem obtrinuendum, quem voluntas intenderat, sed etiam erit vtile ad illud obtrinuendum in tali tempore, quod voluntas per aliam intentionem intendisse poterat. Quod si per eandem intentionem, non solum voluntas intenderat finem, sed finem in tali tempore obtrinuendum, vtile non erat, si voluntas taliter intendisset finem in tali tempore, quod illo transacto, non amplius de fine acquirendo curaret; quod si illum intendisset in tali tempore acquirendum, ita ut si illo acquiri non posset, ex vi illius intentionis in sequenti finis esset amandus, tale medium, quod vtile erat ad acquirendum finem, & non in tempore praefixo, non erat adaequate vtile, vel non erat vtile respectu finis adaequati, sed inadaequate, quia finis adaequatus erat substantia rei obtrinuendae, & talis duratio, & me-

dium illud esset vtile ad substantiam rei acquirendam, non vero ad illius durationem. Hae quidem sunt contra communem modum concipiendi hominum, leuis momenti, & nullius fundamenti, quicumque enim intendit finem vtiliter intendit illum obtrine minor incommodo, quo possit, & ut primum commodum possit, si aliud non exprimat, aut ipsa materia intenta exigat, quapropter medium illud, quo minori incommodo, citiusque finis obtrinetur respectu eiusdem finis indiuisibiliter intenti vtilius est, & iure optimo dicitur aptius medium.

4 Supposita intentione efficaci finis voluntatem non posse eligere medium inaequale, aut minus bonum docent Contr. 1.2. quest. 13. art. 6. ad 3. Burid. 3. & hic quest. 4. & 5. Orontius in margarita Philosophica lib. 1. c. 15. & expressè Vasquez 1.2. quest. 43. cap. 2. & Azorius tom. 2. lib. 1. cap. 25. questione 6. & 7. licet de mente huius posset nonnulla suboriri dubitatio, ipse enim addit questione septima, questionem non esse, An minus bonum velle, vel eligere possimus quā bonum iudicas, nam constat minora bona nos saepe eligere quatenus vtiliora, iucundiora, & aptiora arbitramur: sed inquiri, An minus bonum quā minus est, velle, aut eligere possit voluntas. Hae Azor. Numquam vellem in equiuocum laborare, neque definire questionem, cuius status omnibus compertus non esset, si enim de eadem re non ceremus, forsitan, qui affirmant, & qui negant, in eandem mentem concidunt. Existimo questionem non esse, an minus bonum ex ratione, quā minus bonum, id est, sub ratione carentiae bonitatis quam habet, possit eligi, ita ut motuum electionis sit formalis ipsa carentia bonitatis, hoc enim nullus in questionem vocauit, quia carentia bonitatis ut talis non est obiectum prosecutionis; questio debet esse an duobus mediis propositis aequaliter, vel inaequaliter bonis, postquam intellectus voluntati proposuerit hoc esse melius, seu vtilius, possit aliud eligere, vel vnum de duobus aequale bonis, seu vtilibus propositis, neque aliud potest inquiri, etiam si inquiratur an voluntas comparando vnum ad aliud possit medium minus bonum eligere, quia voluntas in electione per proprium voluntatis actum comparationem non facit, sed facta comparatione mediorum ab intellectu voluntas eligit hoc, vel illud. Questionem sic explicatam tractabo.

5 Voluntatem posse eligere medium minus bonum tenent Soar. in tabula lib. 9. Metaph. cap. 5. q. 3. & disp. 19. sect. 6. num. 13. & 1.2. disp. 4. sect. 4. citata, & plures apud Salas, quos ipse sequitur sect. 5. citata. Moneo tamen ibi referre Vasquium pro hac sententia, qui illam impugnat, & oppositam pugnacissime defendit, licet enim asserat ex duobus finibus posse voluntatem eligere minus bonum si illi efficacius proponatur; in mediis autem aliter rem contingere expressè affirmat cap. 2. citato, ubi disparitatem affert inter electiones diuersorum mediorum respectu eiusdem finis, & intentionum in diuersos fines tendentium, quapropter finitè interpretatur Salas mentem Vasquij, dum illa, quae de finibus docet, ad media vult transferri, siquidem expressè dixerit ille aliter de mediis, quā de finibus philosophandum esse.

6 Dicendum est, voluntatem non teneri eligere ex suppositione, quod sit electura medium eo ipso, quod melius materialiter appareat, hoc est non magis vtile, sed bonitatem aliam habentem in se amabilem, propter ipsam seu in ordine ad alios fines. Probatur haec conclusio, quia si bonitas illa sit amabilis propter ipsam mouebit bonitatem per modum intentionis, & non per modum electionis: ergo non necessitatem inferet voluntati amandi illam, quia bonitas per modum intentionis, seu in ordine ad intentionem proposita non necessitatem infert voluntati, nisi appareat absque vlla admixtione mali: si bonitas illa maior sit amabilis propter alios fines, voluntas, quae non agit de electione in ordine ad illos, nullo modo trahetur illa, sed tantum mouebitur bonitate, seu vtilitate conducente ad finem, quem per illa media intendit obtrine.

7 Dicendum est secundo, Voluntatem ex duobus mediis aequale bonis vnde quaque, & aequale vtilibus ad eundem finem posse pro sua libertate vnum, vel alterum eligere. Hanc conclusionem modò vnica probo ratione, quā doctè adducit Soar. sect. 4. citata. Irrationale est cessare ab omni electione finis quem ardentissime intendo, quia mihi duo media occurrunt, quibus illum consequi possum,